fidei sinceritate seruauerit. Petrus ascendit, qui claues regni caelorum
accepit. Iohannes cui committitur mater. Iacobus qui primus solium sacerdotale
ascendit. Inde apparent moyses et helias, hoc est lex et propheta cum uerbo.
Neque enim lex potest esse sine uerbo, neque propheta nisi qui de dei filio prophetauerit.
Et illi quidem filii tonitrui corporali gloria moysen quoque et heliam speculati
sunt. Sed et nos cottidie uidemus moysen cum dei filio. Videmus enim legem
in euangelio cum legimus, diliges dominum deum tuum. Videmus heliam cum dei uerbo
cum legimus, ecce uirgo in utero accipiet. Vnde bene lucas addidit,
quia dicebant excessum eius quem completurus erat in ierusalem. Docent enim te
de excessu eius mysteria. Et hodie moyses docet, et hodie helias lo
quitur, et hodie in maiore gloria moysen uidere possumus. Quis enim non po
test, quando et populus iudaeorum eum uidere potuit. Immo uidit. Vidit enim
in gloria faciem moysi, sed uelamen accepit, sed in montem non ascendit. Et
ideo errauit quia solum moysen uidit, dei uerbum simul uidere non potu
it. Reuelemus igitur nos faciem nostram, ut reuelata facie gloriam dei spe
culantes in eandem imaginem reformemur. Ascendamus in montem,
deprecemur dei uerbum, ut in specie et pulchritudine sua appareat
nobis, et confortetur et prospere procedat et regnet. Et haec enim mysteria sunt,
et referuntur altius. Et enim pro tua possibilitate tibi uerbum aut minuitur
aut crescit, ac nisi altioris prudentiae cacumen ascendas, non tibi ap
paret sapientia, non tibi apparet mysteriorum cognitio, non tibi apparet quan
ta sit gloria, quanta sit species in dei uerbo, sed dei uerbum quasi quoddam apparet
in corpore non habens suam speciem neque decorem, et apparet quasi homo in
plaga qui ferre possit infirmitates nostras, apparet tibi quasi quidam ser
mo natus ex homine, litterarum opertus inuolucris, uirtute spiritus non
refulgens. Sed si dum hominem consideras, de uirgine credas esse genera
tum, et paulatim aspiret fides quod de spiritu dei natus sit, incipis mon
tem ascendere. Si in cruce positum triumphantem de morte uide
as non peremptum, si uideas quod terra tremuit, sol refugit, tenebrae
effusae sunt oculis perfidorum, monumenta aperta sunt, mortui resurrexerunt.